



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Addenda, Et respectivè Corrigenda In Editione Secunda
Ephemerologii Ecclesiastico-Rubricistici P. Joannis
Baptistæ Halden, è Societate Jesu, Quando illud cum
Facultate Superiorum denuo in lucem edetur**

Halden, Johann Baptist

Oeniponti, 1723

Einleitung

urn:nbn:de:hbz:466:1-39948



IN TITULO principali totius Libri verbis: *Cum facultate Superiorum, &c* praeponeunda sunt haec verba: *Editio secunda, pluribus in Locis Aucta, & Emendata.* In fine ejusdem Tituli principalis post verba: *Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Sac. Cas. Majestatis* exprimendus erit *Locus* novae Impressionis, & post hunc *Nomen & Cognomen* D. Typographi, ac *annus* novae editionis.

Post DEDICATIONEM (si quae fiet in nova Editione) ponenda est *Facultas R. P. Provincialis S. J.* pro tempore existentis, & *Privilegium Caesareum*, quò *Typographis & Bibliopolis omnibus vulgatos à Societatis JESU Patribus Libros absque Superiorum, Auctorumque consensu recudendi, vel intra Sacri Romani Imperij, & Provinciarum, Sacrae Caesareae Majestati hereditario jure subjectarum fines importandi, copia adimitur.*

Post haec ponenda in facie 1. aut 2. novae Paginae

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

HÆc verò *Præmonitio* accommodanda erit (omissis omnibus ijs, quæ habentur in 1. ma Editione) novae Editioni, pro exigentia *Rerum, ac Temporis.* Eidem tamen saltem sequentia erunt ad verbum inferenda: *Illud ante omnia in secunda quoque hujus OPERIS Editione monitum volo benevolum LECTOREM, præter illa SACR. RIT. CONGREGATIONIS DECRETA, de quorum indubitata autoritate ex BARTHOLOMÆI GAVANTI Sacrorum Rituum Thesauo, aut aliunde legitime constat, allegari hinc inde à me insuper quaedam alia ejusdem S. R. C. in hoc Opere Decreta, ex aliorum Scriptorum Libris (quos quidem cum suorum Superiorum facultate ac approbatione in lucem ediderunt) bona fide à me relata: Cum verò non perinde mihi sit compertum, an etiam ista indubitata sint fidei & autoritatis, ac proinde non de omnibus, ac singulis in hoc Libro à me relatis S. R. C. Sanctionibus authenticè constet, an extent reipsa (uti in earum Titulo præfertur) in REGISTRO seu TABULARIO Decretorum Sacrorum Rituum CONGREGATIONIS, vel certe in omnibus, aut prout jacent, aut referuntur, cum suis Autographis, seu Originalibus concordent, vel tandem, an omnes legitime sint publicata, aut non saltem aliquæ earum vel*

ex